



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homo Christianus In Sua Lege Institutus. Sive Discursus Morales

Qvibus Totvm Hominis Christiani Officivm Explicatvr; Quídque is fugere,
quid agere debeat, quàm exactiſimè traditur

Segneri, Paolo

Augustæ Vindellicorum ; Dilingæ, 1695

Discursus VI. De modo Salutem
Animæ certò consequendi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45964](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45964)

DISCURSUS VI.

De modo Salutem Animæ certo consequendi.

I. **A**strologorum nonnemo, vaticinandi arte clarus, in ipso Urbis Athenarum foro, cum occultum sibi cum sideribus commercium jactitaret, non malus, nec falsus sibi ipsi angur erat: curiosâ enim undique multitudine cinctus ab his plausus & gratulationes, ab illis munera, mercedem ab aliis creditorum oraculorum referebat. Cùm nonnemo, ut fidem hominis elevarer, passerulum manu complexus ad eum accedit propius, & divina, inquit, vivusne sit an mortuus, quem manu stringo, passerulus: veritate interim cogitans, si vivum dixerit, suffocabo: si mortuum, diductâ manu avolare sinam, & sic quidquid vates hic dixerit, mædaci coarguâ. Sed ars hæc arte majori elusa est. Astrologus enim subodoratus fraudem, nihil moratus, Talis, respondit, est passer, qualem vis, vivus si vivum, mortuus si mortuum. Quo dicto plausus reculit geminatos, dum tam bellè illuc illuc illuc. Liceat mihi, AA. Amantissimi, per vos hæc, quæcunque tandem est, narratione uti ad edocendos vos veritatem Fidei, siquæ alia est, momenti ac ponderis haud sanè levis. Vos, postquam me generatim de parvo Electorum numero disseren-

R. P. Segneri Christ. Instr. Tom. I.

tem audistis, quæretis ex me, quid tandem de vobis speciatim sigillatimque intus mecum ipse sentiam? vivamne in Dei oculis Animam vestram, an mortuam judicem, Electam, an reprobam? Non ita demens sum, ut id mihi tribuam, quod quaestioni hujc, momenti tam gravis, certum indubitatumque reddere responsum sciam: nihilominus, ne omnino nihil habere videar, quod reponam, dicam: talem esse Animam vestram, qualem vultis in vivarum numero, si vivam; in mortuarum censu, si mortuam cupitis. *Animæ vestra in manibus vestris.* Nihil est quod dubitem, quin omnes vivam optetis, eâ causâ vos hodie artem docebo, quâ ejus Salutem certo procuretis. Agitur de re tantâ hac Dissertatione, Salute nimirum Animæ, ut quisquis hic agit oscitanter, eum Animâ carere pronuntiare non verear.

I.

II. Sed quis tandem ego sum, qui dux velim esse in itinere tam periculoso? Prophetam ergo Regium ad rem tantam deligo, qui caelesti luce intimè collustratus sine aberrandi periculo nos ducat. Sanctissimus hic Vates, cùm desiderio arderet inveniendi sedem stabilem ac perpetuam, omni felicitate cumulata, in Dei

K

Do-

Domo, Celo inquam, Psalmo sexto ac vicessimo rationem nobis indicat, quod desiderabat, consequendi certis-

Psf. 26.
4. *petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in Domo Domini omnibus diebus vite meae.* Primum igitur, quod exemplo nos ille suo docet, est, ad Animam servandam, necessarium esse, quam creberrimè Salutem illius Deo commendare, & hanc ab eo flagitare: *Unam petii.* Quod perinde erat, ac dicere: non hoc duntaxat momento gratiam istam peto; nec illam tum demum petam, cum jam accincta ad iter æternitatis stabit Anima: jam diu est, quod hæc usitata mea est exercitatio: *Unam petii.*

III. Nôsse igitur oportet, inter præcipua, quæ in Christi disciplinâ disci debeant, dogmata esse, necessitatem Orationis. Hanc Sacra Litteræ non obscurè proponunt. *Non impedi-*

Eccli 18.
22. *diaris orare semper.* Ecclesiastici verba sunt. Paulus verò Apostolus sic discipulos suos instituit: *Sine intermissi-*

1. Thess.
5. 17. *one orate: ne interrumpendum quidem tam sanctum studium asserens.* Alibi autem idem sic loquitur: *Obsecro*

primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, &c. quasi diceret non rogo vos tantum, sed & juro, ut præ rebus & negotiis planè omnibus vobis cordi sit salutem vestram summâ contentione Deo commendare: Sed clariùs omnibus Servator ipse Christus necessitatem hanc inculcat: *Oportet semper*

Luc. 8.
2. *orare, & non desicere.* Vocula hæc oportet, si Sanctus Joannes Chrysostomus rectè sensit, necessitatem infert

omnimodam, *inducit necessitatem*, sic, ut quisquis nunquam preces ad Deum funderet, suæque illi Salutis negotium commendaret, modus illi non superesset Salutem consequendi. Hæc causâ Doctores Theologi agnoscunt Orationem necessariâ non illâ solum *necessitate*, quam *precepti* appellant, sed illâ, quam vocant *Medii*: quo ipso *re-* affirmant, non peccaturum tantum *de-* eum, qui omitteret omne orandi *lig-* stium, violato, quod orare jubet, præcepto, sed ne perventurum quidè ullâ ratione ad paratæ sibi felicitatis finem, destitutum medio ad illam obtinendam, lege non dispensabili requisito: Quæ sterili solo sunt Provincia, ditescere aliter non possunt, quam commercio cum Regionibus fertilibus: Tellus hæc nostra aliter suæ inopiæ & indigentia succurrere non potest, quam si commercio cum Cælo jungatur, quod sit frequenti & non interrupto petendi auxilii studio ac conatu.

IV. Ad Dogma tam non contemnendi momenti meliùs pernosendum duo ad rem ista præscienda sunt. Primum est, quod ad recuperandam gratiam peccato amissam, eamque conservandam, opus sit auxilio Dei singulari: *sine me nihil potestis facere*, ut Ser. 39. 11. vator ait: non ait autem; parum sine me, sed, nihil potestis facere. *Sive* *parum, sive multum*, repetit Sanctus Augustinus, *sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest.* Et ea propter, si Divinæ Gratiæ auxilium necessarium planè est ad perficiendum opus, quodcumque minimum, quod ad salutem æternam quoquo modo conducat.

cat, multo magis necessarium illud erit ad opus omnium maximum atque gravissimum, quod est Perseverantia finalis, & victoria de postremis tentationibus obtenta, quæ deum adorantem instar suæctum majori impetu momenti illis ultimis non solent adoriri.

V. Alterum, quod prænotandum est, illud est, quod hoc gratiæ divinæ auxilium tam necessarium ordinariâ & communi Dei lege, nobis non datur, nisi precibus ad eum fufis petatur. Prima gratia, ut Sanctus Augustinus docet, etiam non potenti confertur, at non secunda: hanc oblato libello supplicii oportet impetrare. Hinc ut Olixor sulcis fodiendis aquam ad plantas suas derivat, sic Anima orando canalem præparat Divinæ miferationi, per quem in eam dimanet, nec suo se fonte contineat. Atque hoc ut primò à Deo constitutum est, ita servatur ad amissum, ut ne illa quidem bona largiri Deus velit, quæ cateroguin nulli non promissit, aliâ, quam Orationis viâ. Unde, S. Thomæ Sententiâ, Oratio princeps est Providentiæ Divinæ instrumentum ac medium, quæ vult, ut S. Gregorius observavit, ut ipsi Supplices, mereamur accipere in tempore, quod ab orani retro æternitate decrevit in nos conferre: *Quatenus postulando mereamur accipere, qua Deus ante secula disposuit dare.* Atque hæc divinæ Providentiæ lex omnino est sapientissima. Fuit enim convenientissima, si ipsum attendamus Deum, ut ipsum tam demissè instantèrque rogando, palam faceremus, nos eum agnoscere, qui

est, omnis omnino boni fontem: Conveniens deinde fuit lex, si nos ipsos spectemus: multarum enim orando virtutum actiones exercemus, fidei, fiduciæ, religionis, atque ita dicemur, dum inopes nos & omnium egenos proficemur: conveniens denique fuit, si ipsa etiam, quæ à Deo petuntur, dona consideremus; hæc enim istâ ratione magni nos facere demonstramus, & pretium earum nostris desideriis commendamus, non aliter, quam earum mercium pretium augetur, qua ab emptoribus avidè expetuntur.

VI. Sicut autem Deus Orationem noluit esse summè necessariam, ita vim illi tribuit potentissimam: non eam solum, quam naturâ suâ preces supplices habent, sed majorem multò, dum fidem suam disertis verbis obligavit, & auditurum se nos, si ritè oreremus, sanctè pollicitus est: Unde jam liberum illi & arbitrarium potè non est, audire, aut non audire; suâ ipse promissione devinctus est: *Promittendo Debitorem se Deus fecit; ut Serm. 3. loquitur S. Augustinus. Magnus de Verb. ille Monarcha, cum omnium Dominus Dem, sit, Debitorem se fidelium suorum votis ac precibus constituit.*

VII. Accedamus nunc ad rem nostram, & complectamur paucis, quod pluribus quidem, sed non ultra, quam res postulet, dictum est. Si Oratio necessaria est ad salutem tanquam medium, etsi; tantarum illa ad eam impetrandam est virium, consequens hinc manifestè est, non aliam certiore consequendæ sa-

luti viam ac rationem esse, quam illam nunquam non petere. *Unam petiit à Domino: dixi nonquam non, cum idem Servator dicat. Oportet semper orare: etsi enim necesse non sit, flexis semper poplitibus negotiorum animæ nostræ Deo commendare, necessarium tamen est, ut sui commendatio, quæ est ipsa Orationis intima proprietas, præcipua sit animæ exercitatio, quæ eam & suo tempore minime prætermittat, & extra statuta tempora, tantum illi det, quantum potest: ne quis sibi persuadeat, ad beatitudinem æternam consequendam satis esse, si quis per intervalla globulos peccatorios raptim adnumeraret, vix ipse satis sciens quid agat. Orationes ejusmodi S. Hilarius *Orationes despicabiles* dixit, cum despiciat ab illis ipsis habeantur, qui Deo illas tam lucidè & nullâ curâ offerunt. Pluribus omnino opus est ad salutis nostræ ingens illud negotium consociendam. Si Aquila nunc hoc, nunc illo tantum per intervalla die ovis suis incubaret, pullos suos nunquam excluderet: refrigererent illa, & modicum illud vitæ, quod maternus calor dare jam occoepat, denuo intermoreteretur. Non alia illorum forserit, qui in salutis consequendæ gratiâ à Deo petendâ negligentés sunt. Illa gratiæ auxilia, quæ jam obtinuerant, eâ proportionè languescerent, quâ eorum orandi studium langueret ac deficeret.*

VIII. Non defunt, qui satis sibi in salutè negotio diligètes videntur, si aliorum illud precibus studiose comendat: nec ego hanc sedulitatem vituperò, dummodo sanctum hoc precum alie-

narum desiderium vestrasmet preces comites habeat. In his plus situm est: Deus enim, si S. Thomæ assenti credimus, nunquam certâ sollicitatione addixit, auditurum se cunctos, qui preces pro aliis fuderint: promissit tamen sine ambagibus, auditurum se cunctos, qui pro se ipsis oraverint. *Voce meâ ad Dominum clamavi: aiebat* Ps. 31 S. Rex David. Meâ, inquit, voce, ut multorum reprehenderet negligentiam, qui alienâ tantum voce causas suas agunt. Semper plus emolumentum & sperant & consequuntur, qui ipsi ad Principem admittuntur, ut pro se loquantur, quam quialiorum tantum linguâ pro se perorant. En igitur, quid hodie vos vobiscum statueret oporteat, si vitæ æternæ vos tenet desiderium: certum quotidie constituendū est tempus, hora certa, quâ à Deo salutem petatis vestram, eamque, quam calidissimis illi precibus ac suspiriis commendatis, quæ respondeat periculo maximo, cui obnoxii sumus, sine oratione pereundi: Sancti illius Regis Josaphati exemplo, de quo Sacra narrat Littera, quòd timore perterritus totum se contulit ad rogandum Dominum. Quin etiam cum illam tantisper interrumperetis, non istâ causâ ab illâ desistendam vobis, quam ut alacritate tantò majore & viribus illam restauretis, ut illa solent hierundines, quæ cum uno volatu trajicere mare totum non possunt, identidem alarum alteram undis acclinant, ut quiescant; non quiescant tamen, nisi ut volent.

II.

IX. Non dixerim tamen, satis esse

re-

recurrere orando ad Deum, & opem ab eo postulare: opus est iis, quas interim ipse concessit, viribus, agere quantum valeamus; illorum Gubernatorum more, qui satis non habent auxilia obsecris, quibus præfunt, Urbibus aut arcibus postulasse; sed norunt, suarum esse partium, nihil interim eorum omittere, quæ præstare possint cum modico illo, quod ad manum habent, militari præsidio, in muris propugnandis, in munimentis reficiendis, in receptibus construendis, in hoste procul à mœnibus trebrarum eruptionum opera, atcendo. Antiqui Hæretici Masciliani errorem istum imberant, solâ oratione totum negotium confici, quin ullum aliud adhibeatur præsidium: sed procul ab eiusmodi delirio Sanctissimus Rex David abfuit: eaque causâ, cum dixisset, se ad stabilem in Dei Domo sedem habitationemque impetrandam à tanto jam tempore preces congreginasse. *Unam petii à Domino*, addidit, se eandem etiam operibus semper procurasse: *hanc requiram: petii oratione, requiram opere*: ut Interpretes eum in locum commentantur. Sed hac quoque in re multum mihi negotii cum nonnullis erit, qui eâ in opinione esse videntur, Regnum Cælorum hæreditate, non labore proprio & factis fortibus obvenire. Neque tamen ita se res habet: *Fructum ad inventionum suarum comedem*: Ita Justorum quemlibet Vates Isaias alloquitur. Et verò advertite, quàm insigni titulo labores hos Propheta condecorat appellando eos *Inventiones*; ut inde colligamus,

quod negotium Salutis ingenio peragi debeat, cogitando inquam, perpendendo, animum ad rem præsentem applicando, non solâ assuetudine ulque finendo se agi, Barbarorum illorum stolidorum exemplo, qui illud die totâ Numen adorabant, quod domo prædeuntibus primum se obtulerant. Absit AA. Dilectissimi, absit, ut putetis ad salutem consequendam sufficere nudum hominis Christiani nomen. Id enim perinde foret, ac si Nauclerus sibi persuaderet, nihil discriminis suæ navi imminere, propterea, quod *Victoria* nomine sit insignita. Prò quàm multæ naves, gloriose inclitæ nominibus, actæ sunt in Syrtes, hæserunt in sabulo, aut pyratibus in prædam cesserunt! Necesse est, nihil eorum omitti, quæ præstari possunt; tabulis nauticis vigili oculo observandis incumbere; clavum arte moderari, vela, malum, armamenta cetera loco ac temporis adhibere; certare magnis animis cum ventis, qui oppugnare ausi fuerint; si ad portum aspiratus, in quo nomen inclitum ornat quidem navim, promeritis tamen divitem non facit. *Magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.*

Opera & recte facta nominis Christiani corona sunt, nisi malimus hoc ipsum nomen oneri nobis potius, quàm ornamento esse & adjumento. X. Digna enim vero lacrymis res est, videre quàm parum aliqui faciant, ut beatitate æternâ potiantur. Omnis oratio ipsis nauseam, omnis devotio, & Religiosa Deum ac superes colendi ratio fastidium parit: & illi ipsi,

K 3 qui

Hugo in
Ps. 26.

li. 3. 10.

1. Pet.
1. 10.

776
 qui lucris suis caducis dies noctesque impendunt, semper alacres, semper indefessi, si antequam cubitum concedant, Deiprae coronam de genibus texere jubeantur, virtutum habent nihil: si insuper mane facienti ad aram Sacerdoti adesse jusseris, animo linquantur. Si quem Medici observent festum exhaustumque, et si Laboris antea nihil exantlarit, id magni mali ipsis prognosticon est. *Gravitas totius corporis, manuum, atque pedum, pestifera.* Ego igitur quid augurer de tam multis, qui arcentium felices esse volūt, quin ullo cruciati affligi velint, ullam subire molestiam; quique dura quaque, quodvis opus poenale avertentur, cum dicto: non vires, non vitam ad talia sibi suppeteret? Illud solum pronuntiabo, quos nunc Sanctos veneramus, non ita se gessisse. Hi non solum non existimant, ad salutem obtinendam quemlibet laborem, quemlibet conatum sufficere; sed è diverso affirmant semper, negotium hoc esse, quod totum hominem postulet: his autem AA, Amanissimi habenda est fides, non iis, quae malus Daemon suggerit, ut in ruinam impellat. Qui vado flumen transit, scit quantum eo alveo aquarum sit: qui verò ne extremo quidem pedis calcè undas attingit, id protectò nescit. Sancti isti non aliud volebant animo, non aliis desideriis astuabant, non aliud precibus suis anhelabant ardentius, quam Animæ salutem in tuto reponere, perinde, ac si semper aliquem insufurrantem sibi audirent monitum illud formidabile: *Vigilate*

omni tempore orantes, ut digni habeamini sugere ista omnia, quae futura sunt, & stare ante Filium hominis. Vobis è diverso nihil minus curæ cordisque est, quam Anima, omnia alia negotia agitis diligentius: sic ut ad illam stultorum Philosophorum sectam pertinere videamini, qui Animam corpoream esse affirmabant. Quin ne tantum quidem sapere videmini, cum minoram illius, quam vestri Corporis habeatis rationem, cui fovendo, servando, defendendo tanto plus studii impenditis. Et vos magis vitamini mendacibus illis spebus, quæ in nigro ignorantiae vestrae fundo vobis depingit vestra pigritia & inertia, quam Sapientium effatis, doctrinam Sanctorum, & ipsius Christi Servatoris Oraculis? Avertat bonus Deus, Dilectissimi, sic vos per Animam vestram obtestor, non sic agite, non sic pergite, sed sapientem Davidem ducem affectamini, & in tuto collocare negotium, quo de rei summi agitur. *Unam petii à Domino, hanc requiram.* Animæ salutem precibus petii semper ac constanter: nec aliter eam operibus requiram.

XI. Vox illa *Requiram* arcanorum sensuum kerax est. Advertite, Sacrum Vatem non dicere, *queram* sed *requiram*, id est, iterum iterumque quarum, ut & multitudinem rectè factorum ad salutem necessariorum indicaret, & perseverantiam. An in eâ vos estis opinione, ut existimetis, unâ aliquâ per hebdomadam à cibis abstinentiâ, quâ palatum aliquando fraudetis modicâ, quem in poi largiamini

Hippoc.
 lib. 3.
 Chrac.
 c. 1.

Plat.
 4. de
 Plat.
 Philo.
 Gen.
 4.

stipe cælum vobis certò pandi, etsi hæc agatis lethali peccato obnoxii? O vos delulos, si ita cogitatis! Ante omnia opus, est recuperare gratiam, si cupitis, ut operibus vestris æternæ vitæ merces debeat: cum debeat nemini, nisi Dei filio, qualem quidem sola Gratia constituit. Deo solenne est, donantem primò, deinde donum respicere: *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus*: non autem eorum more, qui sua præ omnibus spectent commoda, ad munera, primò, deinde ad mittentem obtutum vertere.

XII. Nec satis est hæc opera bona à radice progigni; multa etiam esse debent. Ad navim adverso alveo deducendam, remus unus non sufficit; multis eam ad rem opus est. Et vos speretis totum impetum pravaram cupiditatum, vitiarum inolitotum, propensionum usu firmatarum, temptationum maxime molestarum, uno aliquo contrario opere, posse vincere ac superare?

XIII. Istud denique *requirere* & non tantum *quærere salutem* (*hanc requiram*) invictam in bono constantiam indicat. Quid expectatis ab arbore, quæ ejusdem anni spatio nunc hæc, nunc illuc transplantata est? frugam sanè parum. Et tamen his non dissimiles sunt, qui identidem inchoant, & mox à captis desistunt; & vix peccato doloris ac penitentia ope expiato dolorem ipsum suum dolere videntur, & deterius quàm unquam ante hæc peccatis se obstringunt. Equidem nescio de his quid pronuntiem. Dubium interim non est, Spiritum

Sanctum sinistra de his præsegire, dum ait, inconstantia istos suâ victimas destinari divinæ Justitiæ gladio, *Qui transgreditur à Justitiâ ad peccata Eccli. 26 tum, Deus paravit illum ad romphaam. 27.* Quærendaigitur & requirenda est nostra salus bonorum operum sæcundâ perseverantiâ, si assequi tandem illam volumus. *Unam petii à Domino, hanc requiram.*

III.

XIV. Tandem non satis est Cælum à Deo petere orando, quærere & requirere Sanctorum ac piorum operum studio; necesse præterea est, illud quærere & requirere unicè. *Unam petii à Domino hanc, requiram*, perinde ac si diceret, *de hac unâ re sollicitus sum*, ut Bellarminus explicat, *ut inhabitem in Domo Domini*. Hinc illos rideo, aut, ut dicam retius, facilè illis indignant, qui ogganniunt, torse aliis negotiis & Occupationibus distineri, ut tempus non suppetat, Deo aliquid & animæ dandi. Itane tot negotiis, tot occupationibus? Si, quod res est, dicere volumus, non est nisi negotium unicum, quod est, res Animæ in tuto collocare. *Totum unum est necessarium*. Hoc solum negotium momenti alicujus, hoc solo non de nihilo agitur: alia omnia aranearum telæ sunt, hoc vanæ magis, quò textæ artificiosius; quæcunque tandem illa sint: ut sunt etiam, Exercitus ducere, arces & munimenta propugnare, Provincias regere, populos sub jugum mittere: nihil sunt omnia. Unius illius negotii causâ à Deo conditi sumus, unius illius causâ conditi servamur. Unde quisquis id non

non agit, ut hoc unico ac summo negotio rectè defungatur, huic frustra lucent sidera, frustra moventur astra, frustra mutuis se pugnis atterunt & tuentur elementa, & quod ad ipsum spectat, cuncta in nihilum redire debent Dei opera, tanquam jam suum ad finem inutilia.

XV. Sed ne progredi quidem in hac Dissertatione per vos mihi licet, tam me in animo vestro ut nullius prudentia hominem damnatis. Quid dicitis, prudentia habet, velle, ut nihil agatur in Mundo, quam negotium unicuique, ut nullius rei, præterquam animæ cura habeatur? Si ita est, necesse erit cunctos excedere officinis, agros inultos destituere, familiæ gubernandæ porro non intendere, & omnium aliorum operum ac laborum loco, deserta ac solitudines petere. Non hoc ego inculco, hoc petere: hoc querere ac requirere salutem Animæ, & unicè requirere, duo dicit. Primò, dicit, querere ac requirere illam ante alia omnia; quæ est dignatio & honor, qui debetur rebus, quæ suo in genere sunt unicæ. Avicenna scribit, Apes nihil ante suo in alveari extruere, quam receptaculum, quo Rex earum habere sedem debeat. Has imitari vos convenit. Semper exordium à Deo & ejus cultu ducite. Mæne dum è strato vos proripitis, diem ab ejus ope implorandâ aspiciamini. Si mutuis cum aliquo pactis obstringere vos cogitatis, investigate diligenter, ullane illa Dei Læge sint vetita: si negotio alicui admovetis manus, ad illud feliciter gerendum Dei ante

omnia opem exposcite. Matres, quæ uterum ferunt, ubi primùm prole à Deo se donatas advertunt, hanc illi offerant consecrèntque, ubi autem eam pepererint, donum illam Christo Servatori dedicent, seriò professæ, quòd omnem ad illam divino obsequio educandam, industriam adhibere velint. Hoc est, Deum & Animam rebus aliis omnibus antehabere: & hoc erit non unicam tantùm, sed & unicè propriam salutem querere. Erit, qui porro obijciat; tantum temporis precibus dare, tam sollicitè ejus honori res singulas consecrare, eorum esse, qui deserto Mundo non habent, quod cogitent, præter Deum, non hominum, qui in Mundo milenas inter turbas & strepitus degunt. Sed fallitur, qui hæc opponit: hæc enim ipsa causâ, quia qui de Mundo sunt, tot inter turbas, quæ salutem exponunt discrimini, vitam degunt, majori illam curâ procurare deberent, quàm qui Divino cultui mancipati, id instituto & totâ vitæ ratione agunt. Militum proprium est, armis accinctos esse: nec tamen idèò, qui miles non est, cum scit esse, qui vitæ ipsius insidientur, armis cingi renuit: sed potius undique obarmatus incedit, magis etiâ, quàm si miles esset.

XVI. Alterum, quod illo querere & requirere unicè significatur, est; querere & requirere salutem Animæ ut finem, omnia alia negotia, tanquam media, ad illam referendo: cum enim multa, sunt tanquam plures, lineæ ad idem omnes centrum ductæ, non aliter, quàm res una sola considerantur,

Arist. lib.
Topic.

tur; juxta illud vulgatum inter Sapien-
tes axioma: *Ubi est unum propter aliud,
ibi est tantum unum.* Belli Dacem illum
observate, qui urbi alicui aut arci ob-
sidionem admovit: dormit is, cibum
sumit, ambulat, meditatur, cum aliis
deliberat: nec tamen ille facit nisi
rem & negotium unicum, quod est,
urbem videre suam in ditionem reda-
ctam: dum enim aut somno, aut cibo
vires restaurat, sed et restaurat, ut cap-
tis insistat: si ambulat, stationes o-
bit; si meditatur, aggressionem di-
sponit; si aliis loquitur, hanc imperat;
verbo, omnes ipsius actiones,
dicta cogitataque omnia unam spe-
ctant de captâ urbe victoriam. *Ubi est
unum propter aliud, ibi est tantum unum.*
Vos quoque hanc ad normam perge-
re potest poteritis rem Familiarem ad-
ministrare, artes, quas didicistis, exer-
cere, emere, vendere, permutare, dum-
modo omnia hæc ad Animam servan-
dam referantur; sic ut non avaritia &
habendi cupido ad opus, ad commer-
cia, ad pacta conventa impellat, sed
studium servandi vitam, quam à Deo
accepistis, & lucrandi panem in sudore
vultus vestri; quoniam ita visum
est Deo, ut vitam potiùs pauperem,
& multis indigentem, quam rerum om-
nium copiâ circumfluentem viveretis.
Non dissimili ratione si amatis
liberos vestros, si ad vitam tuendam
necessaria iis procuratis, non natu-
rali & sensibili amore, qualem etiam avi-
culis natura ingeneravit, ad id vos agi
debet: alias eo vos in conatu & stu-
dio vincet hirundo aliqua, quæ majori
semper sollicitudine & diligentia pul-
R. P. Segneri Christ. Instr. Tom. I.

los suos, quam vestram vos sobolem,
educat & nutrit. Aliùs attollant o-
culos oportet Christiani in familiæ cu-
rà: id spectandum ipsis est, ut obtem-
perent Deo, & ad ejus leges vitam
componant in conditione vitæ, in qua
ab eo collocati sunt, & ad illam navicu-
lam in veræ beatitudinis portum deducendam,
cujus ipse Navarchos eos esse iussit.

XVII. En rationem, quæ tenenda
est in animæ salute, tot inter negotia
& occupationes, quas inter mortalis
hæc vita ducitur, tunicè procuranda.
Hanc qui tenuerit, certum eum
reddo, certitudine quantà hoc in
genere obtineri potest, cum tan-
dem æternum Beatum fore. *Hec* 1. 30. 20.
est via, ambulate in eâ; & quo tenditis,
securi provenietis: identidem di-
vinam implorate opem, pias sanctas-
que actiones exercete, & cuncta inter
negotia primum & præcipuum locum
habeat negotium animæ: sic illam
indubiè servabitis.

IV.

XVIII. At si fateri lubet, quod res
est, AA. Dilectissimi, an ad hanc diem
ita vixistis? prehendite normam,
quam per me David Sanctissimus of-
fert, & ad illam singulas vestras acti-
ones, totam vivendi rationem sigilla-
tim explorate. Et primò quidem,
quàm crebrè interdū fuis precibus
Dei proposuistis opem? Metuo ne in-
tegræ nonnunquam lapsæ sint hebdo-
madæ, quin vel semel illius memoria
mentem subiret, perinde ac si ipse
nulpam esset. Quoties vel ad prava
incitati (quod quidem tempus est,
quo

L

quo

quo vel ipsa necessitas docere nos deberet, quod, & quid orandum sit) illius recordati non estis? ut tamen subinde bellissimè vos purgasse videmini, si asseratis, vos imbecilles esse ac fragiles. Estate, quia major est cordis refrigerandi necessitas, crebrius respiramus: non dispari ratione aut assiduam, aut frequentius repetitam oportet esse orationem, cum tentamur; hoc enim est illud tempus, quo animus pravi alicujus desiderii, aut appetitionis flammâ exardescens magis ejusmodi caloris temperatione opus habet.

XIX. Transfendo deinde ab Oratione ad opera, expendite tantisper & edicite, quid tandem agitis, ut Animæ vestræ, cuius tantum est pretium, Salus in tuto sit? video vos à primo mane serum in vesperum occupatissimos in procurandis iis bonis, quæ umbræ instar evanescent: æternæ autem beatitudinis consequendæ gratiâ nihil à vobis fieri conspicio. Parùm aberat ab extremis eorum aliquis, qui Francisco Primo Galliarum Regi ab arcanis epistolis fuerat; & lacrymis perfusus hæc ingeminabat: Miserum me, qui plus quam centum chartæ volumina in exarandi mei Principis Epistolis consumpsi, & tamen ne folium quidem, quantumvis tenue, adhibui, ut in eo annotarem noxas, de quibus me nunc coram Sacerdote deberem accusare! Talibus omnino lacrymis multi deplorabunt sortem suam, si alii deinceps à se ipsis non evadunt. Veniens ad lineam ultimam, & post acta & cogitata diligenter omnia, ex quibus

in eos emolumenti redundat nihil, advertent, se de eo cogitasse nihil, ex quo tamen uno pendunt universa. *Scis ea, quæ tibi obveniunt, diligere, & ipsum te diligere nescis.* Ah! Dilectissimi, excutite denique torporem, qui obrepsit in gerendo negotio tanti momenti, statuite modum tot aliis vestris nil profuturis occupationibus, ut tempus suppetat ad habendam denique Animæ vestræ curam. Si rami solo propinquiores non refecantur, arbor nunquam altius atrolit caput: sic neque vos unquam rectè capietis, quæ Fides vera docet, si non rescinditis tot impedimenta, tot nodos & vincula, quæ vos misere huc terræ nimum tenaciter alligant.

XX. Nec jam illud occinite: quibus impliciti estis, negotia ex genere suo prava non esse, & quantumcumque avidè ac sollicitè intendatis lucris, aliud tamen vos non cupere, quam quod vestrum est. Sic ita, ut dicitis: non tamen hoc sufficit, si de Animâ servandâ securi esse vultis. Etiam qui vestris in venis meat sanguis, noxius naturâ suâ non est; & tamen, cum hic redundat, & morbi inde, & non semel etiam mors existit. Ipsa hæc tot ex curis vos extricandi diligentia faciet, ut tempus inveniatis crebrius divinum ad Epulum accumbendi, sacras ædes adveniendi, sacros Oratores audiendi, Catechericas institutiones, pias alias exercitationes, more aliorum verè Christianorum, frequentandi: aliàs in vitâ vestrâ rebus omnibus & negotiis locus erit, præterquam Cælesti beatitati obri-

nenda.

Ecc
31.

nendæ. Ridiculus quidam Pictor, quem ipsa sua stoliditas celebrem reddiderat, quas pingebat hominum imagines à pedibus ordiebat; unde nonnunquam evenit, ut capiti in telâ locus non superesset. Nolim vobis bilem hac comparatione movere: ejusmodi tamen Pictoribus tota Provincia plena videntur; plerique enim opus suum à pedibus inchoant: primæ manè cogitationes non sunt de gratiis Deo agendis: prima opera non sunt ad eum ut Patrem & Dominum agnoscendum; primæ desideria non sunt de eo nullâ injuriâ offendendo; sed conferendis se ad labores consuetos, ut equus ad aratrum; nec alterius deinceps tenoris omnis reliqua eorum vita est: unde ad telæ, in qua pingendum esset, extremum venit, quin locus capiti efformando superfit, cujus lineamenta primo loco oportebat ducere, tanquam index quo partium reliquarum proportio erat desumenda. Intelligitis, quod dico, Dilectissimi, dummodo velit intelligere. Discite tantisper animam habere loco, quo meretur, primo inquam, qui cunctis ipsi prima titulis ac no-

Eccl. 10. 31. Fili serva animam tuam, & da illi honorem secundum meritum suum.

XXI. Neque verò in animum inducite, fieri hæc non posse, nisi in eremos recedatis, domibus, agris, officinis relictis. Non ita est. Ipsa rectè & ex virtute vivendi diligentia lumen vobis afferet, ut clarius cognoscatis, quid fieri deceat: magisque indices Divinæ probabuntur Providentiæ labores, quos pro gradus

vestri conditione exantlatis. Mel gemmæ nulli splendorem adimit, quæ in illud incidit, sed auget potius & intendit. Talis est & Dei Spiritus: nullam conditionis nostræ actionem turbat aut impedit, sed perficit potius: sic ut homini virtutis studioso melius cedant alia etiam negotia hoc ipso ex capite, quòd nullum aliud negotio animæ præponat. Quamquam quid denique damni in quemquam redundaret, si sinistra alia omnia negotia caderent? Salvâ Animâ, nullius rei jacturam fecisse dici possumus: hæc autem perditâ, quid reliqua proderunt universa? *Quid prodest homini, si Mundum universum lucretur, anima vero sua detrimentum patiatur? Qui adamantem habet annulo æreo insertum, si annulo amisso adamantem inveniat, nihil se perdidisse existimabit: at si amissâ gemmâ inveniat annulum, quam demum sortem suam fuisse existimabit? deplorabit jacturam lacrymis, solatium non admittentibus, haud secus ac si nihil reperisset.*

Math. 16. 26.

XXII. Hoc ipso pondere anima ponderanda est, pondere inquam Sanctuarii. Hoc eam pondere Christus Servator libravit etsi non sua, sed vestra esset. Vestra pro Animâ preces ille fudit assiduas, lacrymis perfusus est abundantissimis, magnam pretiosæ suæ vitæ partem precibus pro salute nostrâ ad Patrem fundendis impendit. *In diebus carnis suæ, supplicationesque, cum clamore valido, & lacrymis offerens.*

L. 2. Hoc

Hoc est seriò orare, precibus jungere supplicationes, clamorem, gemitus, lacrymas. Sic operibus etiam & factis, Oratione non contentus, quaesivit salutem nostram. Poterat Servator Deus vel unicà purissimi ac pretiosissimi sanguinis sui guttulà abluere omnes labe mille Mundorum, & tamen ille balneum nobis plenum paravit. *Quod posuit gutta, Mellisui verba sunt, hoc voluit unda.* Et quã id causã, nisi ut palàm faceret, quantã bonorum sanctorumque operum, multitudine nos Salutem nostram curare deceat? Tandem eandem ille salutem nostram quaesivit unicè, cum has in terras delatus est: hanc ille omni à se prolato verbulo, hanc omni passu, actione quacunque, omnibus prodigijs, omnibus officijs, cruciatibus spectavit unicè: *Ego veni, ut*

vitam habeant, & abundantius habeant. Ut & nos diceremus, non aliud aestimare, quàm quod Animã salutem promovet. Hanc igitur ad normam & ideam perficilè ingens illud opus beatitudinis aeternæ, nec ambigile, quin deinceps illam sitis consecuturi: *Uenam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in Domo Domini omnibus diebus vita mee.* Hoc est, ut Bellarminus interpretatur, *quandiu durabit vita Sanctorum cum Deo;* vita, quæ utique expirabit nunquam. His in terris possumus dici habitare cum Deo, sed tantum ambulare ad inveniendum ipsum: *Obsecro ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis.* In Calo cum ipso habitabimus, ubi per omnem deinceps aeternitatem bene precabimur passibus nostris singulis, quos fecimus, ut eò pertingeremus.



DISCURSUS VII.

De Praecepto amandi Deum.

Magnus noster Deus nunquam demonstravit apertius se & Dominum supremum & Patrem nostrum longè amabilissimum esse, quàm cum praecepit, ut ipsum diligeremus toto corde, totã Animã, & omnibus viribus. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex totã Animã tuã, & ex*

totã fortitudine tuã. Plus quàm unquam aliàs tum se Dominum ostendit, quando tributi loco Cor nostrum expetiit: plus quam unquam Patrem se ostendit, dum ex cunctis Animi nostri affectibus non alium probavit magis quàm Amorem. Hoc igitur praeceptum velut basi nititur totã Dei magnitudine & Excellentiã, totãque ejus Bonitate: unde mirum profectò non

Deut. 6. 5.

Apo. 18.